

titus. Nunc vero oppidis undique confita, salo tamen quam solo felicitior habetur, hoc enim frugibus est minus benignum, illud piscibus imprimis fecundum. Hujus ingressu ad Austrum *Shotwick* castrum Regium æstuario incumbit, ad Boream est *Hooton*, Manerium quod tempore Richardi Secundi ad *Stanleios* devenit, qui à quodam Alano *Sylvestre* genus repetunt, cui Ranulphus ejus nominis primus Cestriæ Comes *Ballivam Forrestæ de VVirall* cornu tradito contulit. Huic contiguum est *Poole*, unde loci Domini qui diu dignitate floruerunt, nomen assumpserunt, & in proximo *Stanlaw*, id est, ut interpretantur religiosi ejusdem loci, *Saxeus collis*, ubi monasteriolum posuit Ioannes *Lacy* Constabularius Cestriæ, quod postea propter inundationes translatum ad *VWhaley* in Comitatu Lancastrensi. In extremitate autem hujus Chersonessi, insula modica, jejuna, & arenosa, *Il-bre* vocant, adjacet; quæ suam olim Monachorum cellulam habuit. Interius ad Ortum ab hac Chersonesso saltus objacet celebris, *The Forrest of Delamere* cujus hæreditarii *Forrestarii* sunt *Daxni* de *Vtkinton*, præclaro genere prognati, utique à Ranulpho de *Kingleigh*, cui Ranulphus primus Cestriæ Comes illam *Forrestariam* hæreditario jure tenendam donavit. In hoc suam urbem *Eadwburg*, id est, si interpreteris, *Fælix oppidum*, posuit *Ædelfleda* Mercia, quæ exoleto jam nomine, ruderum effectum, *The chamber in the forest* vocatur, & ad unum & alterum hinc milliare alterius oppidi *Finborow* ab eadem extructi parietinæ visuntur.

Per superiorem hujus saltus partem *VVeve* fluvius defertur, qui è lacu effunditur in Australi parte Comitatus, ad *Ridly*, claræ & vetustæ familiæ *Egertonorum* ædes, qui à Baronibus de *Malpas*, ut dixi, prognati, non procul à *Bumbury*, ubi collegium extruxerunt, & à *Beeston* castro, magno moenium ambitu, crebris turribus, monte, præcipitioque defenso, quod ultimus Ranulphus Cestriæ Comes construxit. De quo Lelandus noster:

*Afyrrio rediens victor Ranulphus ab orbe,
Hoc posuit Castrum terrorem gentibus olim
Vicinis, patriæque sua memorabile vallum.
Nunc licet indignas patiatur fracta ruinas,
Tempus erit quando rursus caput exeret altum,
Vatibus antiquis si fas mihi credere vati.*

Hinc *VVeve* primo Austrum petit haud procul à *VWoodbay*, ubi celebris illa equestris familia de *VWilburham* magno splendore diu incoluit, per *Bulkeley* & *Cholmondley*, quæ clarissimis Equitum familiis nomina impertierunt, nec longe hinc à *Baddely* habitatione olim antiquæ familiæ de *Præriis*, illinc à *Cumbermer*; ubi monasteriolum posuit Guiliel. *Malbedeng*. Vbi hic fluvius Australem agri limitem attingit inter ericeta & jacentia loca, in quibus, uti etiam alibi, arbores ab inundato mundo, ut credunt, defossas sæpe eruunt. Postea fertiles irrigans agros fluviolum ab Ortu admittit, ad quem *VVibbenbury*, à *Wibba* Merciorum Rege ita dicta. Cui adjacent *Hatherton* sedes olim *Orbeiorum*, deinde *Corbettorum*, nunc vero *Th. Smith* filii Laurentii *Smith* Equitis aurati, *Dodinton* *Delvesiorum*, *Batherton* *Griphinorum*, *Shavinton* *Wodendorum* (qui ex nomine genus ab Anglo-Saxonibus traxisse videantur) & aliarum insignium

familiarum, quibus hic Comitatus ubique abundat. Inde *VVeve* per *Nantwich*, non procul à *Midlewich*, ad *Norwich* decurrit. Hæ sunt salinæ nobiles, quinque vel sex mill. pass. invicem distantes, ubi è puteis muria, sive aquæ falsæ hauriuntur, quas non lignis ardentibus infundunt, ut veteres Galli & Germani solebant: sed subjecto igne decoquunt, ut sal conficiatur. Nec addubito, quin hæ Romanis cognitæ fuerint, & quod Salarium vectigal hinc pensitatum. A *Midlewich* enim ad *Northwich* via nobilis duxit, quæ è glareæ in eam altitudinem educta fuerat, ut Romanorum opus facile agnoscas, cum glareæ tota hac regione sit admodum rara, & inde ad privatorum ædificia hodie devehatur. Scribit *Matth Parisiensis*, *Henricum Tertium* has Salinas obstruxisse, cum hunc agrum hostilem in modum devastasset, ne inde tumultuantibus ea tempestate Wallis comitatus suppeditaretur. Sed cum placidi pacis radii illucerent, denuo aperta fuerunt. *Nantwich*, quod primum *VVeve* fluvius invisit, maximum hujus Comitatus & structura elegantissimum censetur oppidum, Britannis *Hellath VVen*, id est, *Salina candida*, quod candidissimus sal ibi coquitur, Latinis *Vicus Malbanus*, fortasse à Guilielmo, qui *Malbedeng*, & *Malban* dictus, cui in Normannica Angliæ expugnatione obtigit. Vnicam habet Salinam (*Brine pit* vocant) quatuordecim plus minus pedes à flumine, è qua aquam falsam in domos per alveos ligneos subvehunt, in quibus doliola sunt terra defixa, quæ illa aqua complent, & signo campana dato cacabis plumbeis, quarum sex sunt singulis domibus, ignem subjiciunt, aquam coquunt, & mulierculæ (*VVallres* vocant) rastellis ligneis è fundo salem educunt, & corbibus imponunt, è quibus liquor defluit, & sal subsidet. Ecclesia, quam habet unicam, perpulchra est, & spectavit, ut accepi, ad monasterium de *Cumbermer*. Hinc *VVeve* cursu satis obliquo tendens ab Ortu fluviolo augetur, qui à *Crew*, quod celebris eodem cognomine familia olim incoluit, delabitur. Longiusque ab Occidentali ripa cernitur *Calveley*, quæ sedem & nomen præbuit nobili *Calveliorum* familiæ, è qua regnante *Richardo Secundo* *Hugo de Calvely* Miles, arte militari ita in Gallia inclaruit, ut vivida ejus virtuti nihil fuerit impervium. Inde per *Minshull*, *Minshullorum* domum, & per *Vallem Regalem* monasterium ab *Edwardo Primo* amoenissima valle locatum, ubi nunc incolit clara familia *Holcroftorum*, *VVeve* iter accelerat ad *Northwich*, quod Britannice *Hellath Du*, id est, *Salina nigra* vocatur, ubi etiam fons falsus est uberrimus, & profundus, gradibus circumpositis, per quos qui aquam utribus pelliceis extrahunt, seminudi ad alveos sive canales ascendunt, & infundunt, quibus in ædes Salinarias defertur, juxta quas plurimæ sunt lignorum strues. Hic *VVeve* confluentem *Danum* in se admittit, cujus ductum jam sequamur.

Dan vel *Daven* è montibus qui ad Ortum *Staffordienfes* & *Cestrenfes* interdividunt effluens, solitarius fertur ad *CONDATE* ab *Antonino* memoratum, nunc corrupte *Congleton* dictum, cujus medium *Howty* rivulus, ab Ortu *Daningschew*, & à Septentrione ipse *Danus* irrigant. Licet vero

Law quid.
1173.

Il-bre.

Finborow.

Ridly.

Beeston.

Woodbay.
Bulkeley.

1134.
Arbores
subterra-
neæ.
Salinæ.

Nantwich.

Calvely.

Vale royall.

North-
wich.